

Rk. 250, 2

Vita Christ. Jancheri

Zc
530

V I R O
MAXIME REVERENDO PER QUE
UNIVERSUM ORBEM LITERATUM
CELEBERRIMO

D N.
JOH. ALBERTO
FABRICIO,

S.S. Theol. Doctori, Gymnasiique
Hamburgensis Professori,

FAUTORI atque AMICO VETERI,

S. P. D.

M. JOH. GIDEON GELLIUS, Dresdensis,
Scholae patriae ad D. Crucis ConRector.

DRESDAE, Literis HARPETRIANIS.



Vita C. Jancheri

Ant. Gl. Bibliothecarius Delibsen.

VIR

MAKES THE ...
...
...

DE

JOHANN ...

...

...

...

...

...

...

...

...





VIR MAXIME REVERENDE!



Um laeta omnia de TE audire gestio ex quo pestiferae
luis malum, urbi vestrae extrema quaevis minari vi-
sum, per DEI gratiam desaevisset, in admirationem
paene raptus sum, quod superioribus Lipsiensium
nundinis nihil nec limatissimi Bibliothecae Graecae
Operis, nec aliorum abs Te editorum in Bibliopoliis
nostris comparuisset. Metuebam enim, ne quid humani, ut sunt res
nostrae, Tibi evenisset; praesertim cum Amicus quispiam, qui paulo
ante fatalem, qui vos affligebat, casum ad vos commeaturus literas

ad TE, quod Musarum tuarum sacra, turbare religioni esset, multum
 tergiversanti ac invito prope mihi extorquebat, nihil respondisset.
 Hic tamen metus nunc, de quo imprimis mihi gratulor, in ventos abi-
 it, cum vivere TE, & valere, & in literarum commodum egregia me-
 ditari plurima, haud ita pridem fama ferret. Quod nuncium quanto pe-
 re exhilararit me, dici vix potest. Quo pauciores enim hodie, qui
 ad verum aliquod & genuinum in literis decus adspirant, eo magis sol-
 licite sunt observandi tales, eorumque salus atque incrementum qua
 potest fieri contentione Deo commendanda. Equidem si vota quic-
 quam nostra atque preces valuissent, diuturniorem illi, cujus praema-
 turum obitum nunc moerent Musae omnes atque Gratiae, vitam uno
 omnes, quotquot inter literatos aliquo haberi numero cupimus, ore
 appreciamur. Sed fuit, fuit inquam, nunc inter vivos esse desit com-
 munitis amicus noster, orbis eruditi decus ac delictum, CHRISTIA-
 NUS JUNKERUS, *Dresdensis, Sereniss. Saxoniae Ducum Historiographus,
 Gymnasia Altenburgensis Director, ac Regiae Scientiarum Societatis Borussiae
 Collega*, d. 19 Junii brevi morbo rebus humanis exemptus. Praecef-
 ferat d. 14. ejusdem mensis uxor *Maria Elisabetha Wagneria*, grava-
 da, inopinato felis incurfu territa. Nec incredibile, jacturam hanc, qua
 erat in suos pietate, animum ejusdem tanta afflixisse aegritudine, ut
 febre accedente, aegre admodum traheret spiritum, ac demum dolo-
 ri plane succumberet. Dolebis una mecum, sat scio, mortem Viri
 optimi, & de Republica literaria tam insigniter meriti: Quam gravi-
 orem nobis reddunt praeter edita jam pridem, Opera quam plurima
 aut praelo jam destinata, aut affecta certe aliquando, si Deus vitam ipsi
 concessisset, proditura, quae nunc interciderunt. Vasta enim men-
 te plurima conceperat, nec ulla facile scientia, cujus interiora inge-
 nium ejus ad omnia propemodum natum, altius non penetrasset.
 Testantur id prae ceteris *Lineae primae Eruditionis universae & Historiae
 Philosophicae, ac speciatim earum Disciplinarum, in quibus instrui & praepa-
 rari juvenes in Academiis & Gymnasiis utile ac necesse est, illos ad usum Le-
 ctionum in superioribus facultatibus, hos vero ad usum Lctionum Academicarum.*
 Quibus ubique addidit *Historiam cujuslibet Disciplinae & Auctores
 praestantiores, & Cautelas seu Regulas necessarias.* Lectu profecto, si quid
 judico, dignissima, sed, quod dolendum, imperfectae, cum, ipsomet
 in Praefatione indicante, ad Partem primam expendam adhuc re-
 stent *Lineae Artium Mechanicarum, & Juris Publici;* ad Partem vero
 fecun-

secundam *Lineae Artis Heraldicae*, tum *Rei etiam Nummariae & Antiquitatum* quas intra mensis spatium fecuturas promissit, nunc, quid iis sit futurum, plane incertum, Actum agerem, si tuis nunc, VIR CELEBERRIME, oculis conspectum omnium Scriptorum ejus, quibus ornator ille atque ornamentum literarum (liceat enim apud TE nunc ipsi applicare hoc elogium, quod Illustriss. quondam Angliae Cancellario Franc. Baroni de Verulamio Auctor Vitae ejus Operibus praemissae tribuit) insignem sibi famam peperit, conarer sistere, quorum vix ullum sagacitatem tuam effugisse reor, magnaque jam pars in *Bibliotheca Latina* pridem TIBI memorata; Accedit, quod & ipse *Operum* a se in lucem editorum *Syllabum* una cum *Libris Bibliothecae suae MSCris*, in *Epistola ad Pet. Ambr. Lehmannum*, de *Statu Bibliothecae Gymnastii Schleusingensis* A. 1703. perscripta, & ab hoc Novis Literariis Germaniae ejusdem anni, in quibus & sequentibus deinceps annis erudita ejus alia Schediasmata frequenter comparent, inserta, concinnarit, ubi & illa, quae ἀνωμόως, vel in alias ab ipso versa linguas, vel ex proprio ingenio deprompta prodierunt, ordine comparent. Quamvis non inficiandum, plura post id tempus alia, Latina ac Germanica lucem adspexisse; quorum alia ad Supplementum jam pridem editorum spectare videntur, alia recens excogitata comparuere. Ita ad supplendam atque emendandam *Lutheri Vitam Nummis illustratam* cum plurima deesse viderentur, & vero rariora quaedam tum Numismata, tum annotata alia a Joh. Georgio Lucio, Medico apud Dresdenses celeberrimo, cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, fuissent transmissa, dici non potest, quam gratum ipsi acciderit, ut non quieverit prius, quam iterata ejusdem editione Anno 1706. vernacula inserta ea cum additamentis plurimis exhiberentur. Et quid de *Ephemeredibus Eruditorum* Traſtatu futu- rum censēs fuisse, qui in tantum jam excrevissent perhibetur in *Diario*, quod Lipsiae sub tit. des neuen Bücher-Saals der gelehrten Welt etiamnum continuatur, Parte XXXV. ut satis spissum formae quartae Volumen, si typis ederetur, posset conficere? Nimirum nunquam ejus quiescebat industria, nec otiosus cum P. Scipione illo Africano erat minus, quam cum esset otiosus. Quodque mireris, nihil unquam quod sui esset muneris, in tanta editorum abs se multitudine, fuisse temere neglectum aut posthabitu, in literis ad Amicos haud raro solitus est gloriari. Nec crebriores eum honorum

mutationes ab incepto potuerunt retrahere, cum Schleusinga primum, ubi ab An. 1696. Illustris Gymnasii Con-Rectorem non sine multa laude egerat, Ifenacum primum Gymnasii ejusdem Rectorem, mense Januario 1708. concederet, inde superiori anno Gymnasii Altenburgensis Director constitueretur. Re ipsa sane ostendebat, & his & aliis quamplurimis se nondum fore imparem. Hinc ea etiam non subterfugiebat, quae molesta aliis ac taediosa, ob laborem videri immensum potuissent. Sic *Geographiam medii aevi* primus ordine Systematico concinnavit, inque ea paradoxa plurima historica, Saxonica praecipue, ipsemet agnovit. Sic *Lexico Reyheriano* in concinniore redigendo ordinem, innumerisque augendo accessionibus, septem propemodum annorum horas subcivitas impendit. Quod si omnes poenarum facies laborem Lexica conficiendi in se habere pridem fassus est Josephus Scaliger, nec sine causa forsan *Lexicon Criticum*, ut ipsi appellare placuit, sive *Theaurum Linguae Latinae* aerumnabili plurium annorum labore a se congestum ait Phil. Pareus: judicare hinc proclive, quantum molestiarum devorandum fuerit JUNKERO nostro, cum novam faciem induere Reyheriano huic foetui constituisset. Id vero consecutus erat ordinaria penarum diurnorum distributione, a qua non temere, nec nisi summa urgente necessitate, recedebat, ut docendo scribendoque DEO proximoque inservituro nihil esset arduum. Hunc sibi Spiritum familiarem esse jocabatur, divinam gratiam, mentemque vegetam & alacrem. Et tamen quantoscunque labores atque aerumnas exantlisset, censura nonnemini inclementiore eo se adactum vidit, ut *Apologiam* Lexici nuper editi scribere haberet necesse. In qua candorem sine felle bonis omnibus probavit: secus ac Georgius Merula, quem cani rabido similem, perpetuum adversus eum, cui semel fuisset insensus, bellum gessisse, imo Galeottum adeo indigne tractasse, ex Varillasio refert Baelius in *Novellis Republicae Literariae*, ut mori denique indignatione ipsum cogere; nec ullum ex iis, quos scripto laceffisset, respondere ausum, ne calumniis ac maledictis magno numero ingestis opprimeretur. Meruebat idem, cum *Historiae Ecclesiasticae* compendium edidisset, nec secus, ac Apelles olim, post tabulam latitabat, variorum, de recentiorum cum primis controversiarum recensione, judicia exploraturus. At quanto ipsi gaudio, cum, Scyllam velut inter & Charybdim medium

dium enavigasse se, cognosceret, & utriusque applausum partis
 publicationem operis fuisse infecutum. Et quamvis Scholarum,
 quarum gubernaculis divinum ipsum Numen destinaret, probe
 memor haud raro ad inferiora se demitteret, & in gratiam eo-
 rum, qui prima pueros elementa docent, non pauca ad facili-
 orem utrique doctrinam reddendam animo meditaretur; sicut
 linguae patriae inter alia *orthographiam* rimabatur, novum inde
syllabizandi modum naturae indolique ejus maxime convenien-
 tem, proprio ingenio, ut constanter jactitabat, excogitatum
 propositurus: erat tamen quandoque, ubi altius efferri, & nu-
 ces pueris relinquere censeret esse opus. Loquantur hanc in
 rem pro me *Programmata* varii argumenti ac *Dissertationes* non
 paucae tum in Schleusingenſi, tum Isenacenſi atque Altenbur-
 genſi Gymnaſiſi ſcriptae. E quibus illae, quas *de Ordinibus*
Equestribus, ut & *Bibliothecis Saxoniae* prodire voluit, non pos-
 tremo sane loco numerandae. Alias enim omnes, aliunde for-
 san TIBI notas, recensere patientia tua eſſet abuti. Memo-
 rabile cumprimis hoc, cum Scholae provincialis Altenburgenſis,
 Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani ſpeciali mandato Gymnaſii
 Ducalis titulo tum ſimul inſignitae, faſces ſolenniter ſuſcipe-
 ret auſpicii gratia, Orationem *de Legibus Academiae ſeu Societatis*
Literariae Intronatorum Senenſis ſatis prolixam memoriter, quod
 novum iſthic omnibus viſum, eum habuiſſe. Sunt haec, ut ex
 Peliffonii Academiae Gallicae Historia tum plenius, nec ſine fa-
 cundiae inſignis laude docuit, ſex praecipuae: *Orare, Studere,*
Gaudere, Neminem laedere, Non temere credere, de Mundo non cura-
re. Quas omnes luculenta ad Scholas facta applicatione, pleni-
 us explanavit. Vix munus hoc ſuſceperat, cum, praeter pu-
 blicarum *Leſſionum ſeriem*, *privatorum etiam laborum rationem* ſibi
 reddendam cerneret, Programme hac de cauſa ſcripto, ſex
 menſium quovis exacto ſpatio deinceps continuando. Omni
 ceteroquin ſtudio ac cogitatione omni, velut naturali quodam
 propenſione, ad *Historiam Civilem ac Eccleſiaſticam*, nec minus
Literariam, Saxoniam tamen praecipue, ferebatur illuſtranda.
 Idque ſibi negotii cumprimis datum credidit, cum *Hi-*
ſtoriographi munus Anno 1705. a Saxoniae Principibus primo
 omni-

omnium, ut praedicare ipsemet confueverat, eorum, qui Dresdam habuere patriam, ipsi fuisset collatum. Ex illo namque tempore, de *Hennebergici Principatus Historia*, quam pridem meditatus fuerat, serio coepit cogitare. Et hanc ipsam toties promissam absoluit equidem; ceterum quo minus publicam hactenus lucem viderit, Cizensis aula impedivit: Cui cum censendam eam obtulisset, nunquam ipsi, haud dubie, quod in illa quaedam pro temporum ratione minus forte ad palatum essent, nec temere divulganda existimarentur, fuisse remissam, in literis ad Amicos haud raro fuit conquestus. *Calendarii Historici Saxonici* specimen ab Anno 1400. ad 1599. editum id praecipue vitii habere agnoscebat, quod annum 1600. perinde ac si is ad Saeculum XVII. non pertineret, omisset; quem errore neminem lectorum deprehendisse, ad minimum non exprobrasse sibi, suaviter ridebat. Nec minus sedulus erat in colligendis *Scriptis Electorum Ducumque Saxoniae* minutioribus etiam, vel additis nominibus, vel ἀνωτάτους editorum, vel in MSCTis adhuc latentium. Eidem fini peculiare scriptum de Virtutibus domesticis Domus Saxonicae destinaverat, sub *Speculi Honoris ac Virtutum Electorum Ducumque Saxoniae* titulo suo tempore prodicendum, additis simul selectis de Serenissima Domo Saxonica annotationibus. Molitus etiam fuit *Bibliothecam Historiae Saxonicae Realem*, cujus se jam ad 400 Scriptores generales atque speciales paratos habere affirmabat, suo tempore, addito de quolibet iudicio, edendos. Quo loco nec Orationes aliaque Scripta minora, quacunque ratione ad Vitas Principum Saxon, aliosque rerum in Saxonia gestarum eventus memorabiles illustrandos pertinentia, fuerat omissurus. Atque huc speſtabat etiam *Descriptio Vexilli Marchionatus Misniae* antiquissimi rarissimi- que Altenburgi asservati, quod pro Hussitarum vexillo vulgus hactenus venditaverat, hoc ipso anno mense Februario Germanico Programmatae proposita, facto simul promisso de *Insignibus Saxonickis* historice ac heraldice suo tempore explicandis. Luculentum & hoc propensissimi, quo in Saxoniam Historiam ferrebat, affectus indicium; quod nihil magis habebat in votis, quam ut hunc in finem collecta iusto ordine disposita scriptisque com-

comprehensa vivens adhuc posteritatis usibus posset consecrare. Quae ipsa tamen non eo accipienda, ac si aliarum gentium Historias plane interim seposuisset, quas non minore ipsum studio excoluisse testatur praeter *Weissii Ephorum Prudentem* ad nostra usque tempora continuatum, *Theatri Historici Seculi XVII.* a Jobo Ludolfo coepti, & ad An. usque 1650. elaborati, Continuatio, cujus etiam volumen unum ad An. 1663. pertingens in lucem edidit, alterum hac ipsa aestate, si Divinum Numen superstitem cum nobis reliquisset, ad umbilicum perducturus. Neque enim nunc de aliis dicam mente ab ipso agitatis, maxime ex quo in Societatem Scientiarum Regio-Borussicam mense Octobri An. 1711. peculiari Diplomate Berolino Isenacum transmissio fuisset receptus. Quem honorem, cum alias nullum petiisset, imo oblatam sibi Historiarum & Metaphysices Professionem Altdorffinam recusasset, tantum abest ut deprecatus fuerit, ut ea, qua par erat, reverentia atque submissione acceptarit: satis certus, campum sibi ad egregias animi dotes dilucidius exprimendas amplissimum hac ratione fuisse apertum. Suscepit ergo post non ita multo *Supplementa ac Continuati- onem Nummophylacii Saxonici Tenzeliani*, studiose multa undique conquirens, quae ornamento huic esse possent. Et praestitisset, si per fata ipsi licuisset. Erat cum & *Dissertationem Epistolice de Petri Schumacheri Greiffenfeldii Numismate*, a supra laudato ipsi D. Lucio communicato, cujus ectypon in Oligeri Jacobaei Museo Danico frustra quaeritur, aut certe non nisi leviter ac perfunctorie explicatur, addito & alio argenteo in Cornificium Ulefeldium, & hunc infelicem Danicum Ministrum, in bracteati modum cuso. Subjuncturus erat *Carmen Academicum Kiloniensis in nuptias Greiffenfeldii cum Charlotta Louysa*

B

Hol-

Holsatiae Duce Latinum a Morhofio scriptum, sed paulo post, cum Regis gratia excidisset, suppressum. Quamquam, Carolinam istam in nullo adhuc Genealogorum fibi repertam, ingenue fateretur. Memini, cum ante quadriennium patriam inviseret, & vero inter prandendum cum amicis sermo incidisset de Hamburgensi quodam Theologo, TIBI, VIR CLARISSIME, haud dubie notissimo, qui Dresdae valedicens inter alia his verbis fuisset usus: Nescire se, utrum honos an ignominia, vincula an catenae ipsum manerent; quae tamen verba eventu ipso comprobata, in Homilia illa typis postmodum excusa neutiquam comparerent: respondisse ipsum, jam olim sibi aliqua *de Ominosis Theologorum circa accessum discessumque verbis* fuisse collecta, propediemque ejus argumenti Dissertationem in publico comparituram. Sed & haec, non secus ac Augusti Ajax, inspongiam incubuit. Quod idem ne promisso toties *de Societatibus Eruditorum* operi, ad quod non protrita sane nec vulgaria magno numero collegerat, itemque *Bellaris Politicis* ad hoc usque tempus continuatis, & Pacem modo Europae, ut, quae cuivis Principum cessissent, inde inferenda nosceret, expectantibus, denique & *Sleidani Continuationi* eveniat, nisi illi, quibus MSCta ejus obtingent, providerint, valde metuo. De Aug. vero *Buchneri Notis in Barclai Iconem Animorum* ab ipso revisis, emendatis, auctis, supplementis, quae apud Godofr. Leschium praelo jam paratae jacent, major spes affulget, eas in lucem protractum iri. Nec plura memorabo, cum ex dictis, quot & quanta cum ipso interciderint, satis appareat. De cetero vitae morumque integritati semper studuit, id quod uno omnes ore testabuntur amici, illi praesertim, quibuscum frequens ipsi literarum commercium, quos inter
ali-

aliquoties jam memoratus Lucius, Strobilius, Hilscherus, Schreberus, commilitones olim; sed & alii apud exteros illustres Viri columinaque literarum, Leibnizius, Imhofius, tum Lipsiae cum primis Fridericus Benedictus Carpzovius ὁ μακροχρόνιος, quos impense semper coluit, eorumque delectatus conversatione id egit sedulo, ut dignum se tantis nominibus praeberet. Nec quicquam gratius illi atque exoptatius, quam rem literariam juvare, promovere, omniqve ratione augere. Haec meta ipsi, hic scopus unicus, haec omni animi contentione agebat semper, nulli operae nec sumptibus parcens. Patriae semper amantissimus tam procul se ab ea remotum crebrius dolebat, nec ullum facile, ut jam ante nos in Schediasmate de Eruditis Dresdensibus hinc inde dispersis observavit Summe Reverendus D. Goetzius, Lubecensium Sacrorum Antistes celebratissimus, ejus scriptum prodiit, quo non Dresdensem se constanter proderet, nec sine tenerrimi affectus expressione in literis ad amicos eandem nominaret. Quorsum & illud pertinere arbitror, quod, beneficiorum in eadem acceptorum memor, hoc ipso anno, cum audisset, ab Amplissimo Senatu nostro Scholas, quibus pauperiores pietate atque literis gratis erudirentur, apertas, in earum usum, & ad libellos scholasticis necessarios Christiani die prid. Id. Maj. distribuendos, tres quotannis florenos quamdiu ipse viveret, numerare instituerit, aucturus sortem hanc pro modo facultatum: quo tamen beneficio non nisi semel Scholae istae uti potuerunt. Luget ergo patria JUNKERUM suum, lugent boni omnes atque eruditi, lugent illi, quibus penitus eundem nosse datum, quosque amore sibi atque officiis devinxit. Quibus cum
&

Zc 530 OK X 2857127

Vd 18

& TE, VIR CELEBERRIME, annumeran-
dum certus sim, diutius ejusdem obitum, pro veteris
amicitiae, addo & observantiae, jure clam Te esse nolui.

Vale & in literarum solatium in feros usque annos
incolumis age. Dresdae, prid. Kal. Quintil.

A. O. R. cfo lccc xiv.



m. 5





PK. 250, 2

Vita Christ. Junckeri



V I R O
MAXIME REVERENDO PER QUE
UNIVERSUM ORBEM LITERATUM
CELEBERRIMO

D N.
D. H. ALBERTO
FABRICIO,

S. Theol. Doctori, Gymnasiique
Hamburgensis Professori,

FAUTORI atque AMICO VETERI,

S. P. D.

D. H. GIDEON GELLIUS, Dresdenfis,
Scholae patriae ad D. Crucis ConRector.

DRESDAE, Literis HARPETRIANIS.



Vita C. Junckeri

Act. G. Bibliothecario Sebifsen.